

aut, ut cum Graecis loquar, ἑλεγχοί, ἐπιγραφαί, nec non, quod ad Eusebium obseruat Henricus Valesius, παραγραφαί. Quae tamen notiones nonnunquam de περικοπῶν, ἀναγνώσματων, et ἀναγνώσεων usurpantur indicibus, quos ab initio singulorum librorum, cum literis, et notis arithmetiis, docente id Io. Croio, Obseru. in N. T. c. V. p. 33. sqq. apponere solebant. Quid? quod τίτλοι, siue tituli aliquando idem sint, quod περικοπαί, siue *Sectiones*, aut *Lectiones*, in quas suos plerumque libros dispescebant ueteres. His addo aliam significationem Scriptoribus potissimum, quos nominant, Ecclesiasticis usitatam, qua *Titulus* denotat Ecclesiam, in memoriam alicuius erectam, aut aedificatam. Hoc sensu in Martyrologio Romano, die XXVI. Iulii nomine sancti Pastoris Titulus exstare dicitur in Viminali apud Sanctam Pudenciam. Qui locus, a Baronio in Notis illustratus, lucem accipit, ex ipso Martyrologio, quod ad d. XIX. Iunii, ubi de Pudente, Timotheo, Pudenciana, et Praxede agit, haec subiicit uerba. *Horum domus in ECCLESIAM COMMVTATA, PASTORIS TITVLVS appellatur.*

III. Non heri demum, aut nudius tertius, mos, ita inscribendi libros, obtinuit. Adhibitus ille pridem est uetustioribus, ab ea iam aetate, qua libros scribere ceperunt, si ipsi modo auctores scripta euulgarent, aut debitum in ordinem redigerent. Nam si illa, aliis obstetricantibus, in lucem prodirent, dubium esse non potest, quin etiam ab istis tituli adiecti sint. Quorsum refero Tractatus, siue Homilias Patrum Ecclesiae uetustiorum, quas ex eorundem ore excipiebant, et promulgabant notarii, a celeritate, quam in scribendo ostentabant, ταχυγράφοι appellati. Inter Tractatus, ita ueteres sermones sacros nominabant, Gaudentii adhuc aliquis exstat, et legitur, qui notariorum in ipsa inscriptione mentionem facit. Ita enim Titulus habet, *Tractatus, quem, prima die ordinationis ipsius, quorundam ciuium notarii exceperunt.* Sed et longe ante Gaudentii tempora idem factum esse, historiae proloquuntur. Ita enim

Origi-